



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Gerardo Abbate Claraeuallis, cui sanctus Eucharius cum socijs
apparuit, cap. 78.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Quòd verò vita humana quãdoque propter eleëmofynas morti subtrahatur, habes exemplum in vita sancti Ioannis Eleëmōnis, de Petro telonario, penè in consimili casu & visione. Hinc est quòd Nabuchodonosor regi, cùm se in visione vidisset sub figura arboris ab angelo esse præcidendum, Daniel consuluit, vt peccata eleemosynis redimeret. Quòd verò ob peccata etiam ante tempus quãdoque vita hominis præcidatur, idem Daniel testis est. Cùm Balthasar, prædicti regis filius, cum vxoribus & concubinis in vasis templi Domini conuiuando Deum irritaret, vidit contra se articulos manus scribentis in pariete, tria hæc verba, Mane, Thecel, Phares: quam scripturã sic Daniel regi interpretatus est: Mane, id est, ante tempus dinumerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud. Thecel, appensus est in statera, & inuētus es minus habēs, scilicet de iustitia. Phares, & quia peccata præponderauerūt, eadem nocte occisus est, & diuisum est regnū eius Medis & Persis. APOLLONIVS: Placet quod dicis. CAESARIVS: Tres præfati pontifices, aliorum trium Episcoporum visionem mihi ad memoriam reuocant relatu dignam.

CAPVT LXXVIII.

BOnæ memoriæ Gerardus Abbas Claraualis, qui nostris temporibus fuit, cùm tempore quodam visitandi gratia pergeret ad Claustrum, & apud religiosos fratres sancti Matthiæ hospicaretur, eadem nocte, dictis matutinis, ecclesiæ cryptam solus intrauit, & ad sepulchra sanctorum Eucharij, Valerij, atque Materni, qui Treuerorum primi erant Episcopi, & nostrarum regionum Apostoli, deuotè satis orauit: maximè tamē petiuit sibi reuelari diuinitus, vtrū magis expediret in officio Abbatia manere, vel illam resignare. Cui gloriosi illi tres præfules in multo splendore simul apparentes, dixerunt: Frater, nequaquam officium tuum resignes, quia in breui cum palma martyrij ad nos peruenies: sicque disparuerunt. Mane cùm esset profecturus, præpositus sancti Simeonis eum, vt secum in reditu hospitari dignaretur rogauit, quod

Dan. 4.

Dan. 5.

quod & promisit: cumque completa visitatione rediret Treuerim, de promissione satis eum pœnituit, volens iterum orare vbi prius, quædam neglecta in prima visitatione sperans sibi denuo esse reuelanda. APOLLONIVS: Quæ fuerunt illa? CÆSARIVS: Vbi anima sancti Materni fuisset infra illos quadraginta dies, quibus sepultus fuerat. Quid plura? Promissi sui memor in domum Præpositi se recepit, & sicut ipse procurauerat, in ipsa nocte solito maturius surgens, & matutinas decantans, monachis relictis, & Conuerso assumpto, ad ecclesiam sancti Eucharij perrexit, cryptam intrauit, vbi sub forma prioris visionis præfatos Põtifices videre meruit. Ad quem sanctus Eucharis: Noui ad quid veneris; ecce Maternus, interroga eum. Quod cum fecisset, respondit ille: Anima mea per illos quadraginta dies fuit in paradiso, & quia sciebat se ad corpus esse reuersuram, mercede sibi in cœlestibus præparata, frui non potuit. Mane ergo in officio tuo, quia per palmam martyrii citò nobis sociaberis. Quod ita factum est: nã à quodã misero, propter zelum ordinis, latenter interfectus est. Deinde beatus Pontifex adiunxit: Existente me in paradiso, nil actum est in mundo quod non viderim. Vides quanta sit potentia electæ animæ à corpore exutæ? Si tanta vidit in terrestri paradiso, quanta puras videt, quando fruitur Deo? APOLLONIVS: Non ambigo, quin omnia tunc sciat & videat. Si sanctus Benedictus adhuc existens corruptibilis, ex beneficio vnus animæ cœlos penetrantis, totum mundum vidit sub vno radio solis ante oculos suos collectum, non mirum, si anima Deo vnita contemplatur omnia. CÆSARIVS: Bene sentis, & hic de confessoribus sit finis. De visionibus verò quarundam virginum, aliqua tibi referam, prius tamè de ipso ordine virginali te expediam.

CAPVT LXXIX.

Tanta est gloria virginalis, vt angelis comparetur, quia qui non nubent, neque nubentur, erunt sicut angeli Dei. Hinc est quod in tabernaculo fœderis tertio operimento, quod erat de pellibus rubricatis,

*Greg. l. 2.
dial. c. 35*

*Ordo san-
ctarum
Virginum
Mat. 22*